

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2333

Auteur(s) : Innocent IV [pape]

Bénéficiaire(s) : Troarn, Saint-Martin (abbaye)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1253, 19 janvier

Lieu d'émission : Pérouse

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Petite bulle d'Innocent IV dispensant l'abbé de Troarn d'observer les statuts de Grégoire IX sur la règle bénédictine.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Sauvage René-Norbert, *L'abbaye de Saint-Martin de Troarn au diocèse de Bayeux, des origines au seizième siècle*, Caen, Chalopin (MSAN ; 34), 1911, n° XX, p. 396-397.

Texte établi d'après a

Innocentius, episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio.. abbati monasterii de Troarno, ordinis sancti Benedicti, Baiocensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum observantia tui ordinis ab ipsa sui institutione multum sit rigida et difficilis ad ferendum fuerintque postmodum per felicis recordationis Gregorium, papam, predecessorem nostrum, superaddita statuta gravia diversarum penarum adjectione vallata, ne contingat sub tantis oneribus deficere oneratos, providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. Attendentes igitur quod expedit calamum quassatum non conteri et in erasionem eruginis vas non frangi, devotionis tue precibus inclinati, presentium tibi auctoritate concedimus ut super observatione statutorum ipsorum, que de tue substantia regule non existunt, tu ac successores tui, cum monasterii tui ejusque membrorum monachis presentibus et futuris, libere dispensare possitis, hiis casibus dumtaxat exceptis super quibus in eadem regula est dispensatio interdicta, in quibus casibus dispensandi super penis adjectis et irregularitatibus, quas tui subditi hactenus incurrerunt vel incurrunt de cetero, eosque absolvendi ab excommunicationis vinculo, quo ipsos ob transgressionem statutorum predictorum involvi contigit vel continget, injuncta sit absolutis penitentia salutari, libera sit tibi et eisdem successoribus de nostra permissione facultas ; priori nichilominus monasterii tui ac ipsius successoribus concedendi tibi tuisque successoribus hujusmodi dispensationis et absolutionis beneficium, si fuerit oportunitas, indulgentes, auctoritate presentium, potestatem, non obstantibus aliquibus litteris ad venerabilem fratrem nostrum.. Baiocensem episcopum, vel quemcumque alium, ab apostolica sede, sub quocumque tenore, directis, et processibus habitis per easdem, de quibus forsitan oporteat fieri mentionem, et etiam obtinendis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere velei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Perusii xiiij kalendas februarii, pontificatus nostri anno decimo.